



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Titvli Capitvlorvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
CHRISTI
1322.

mihi & Bertrando notario publico infrascripto factis, cum eodem Bertrando fideliter auscultavi. Et quia ipsas cum prædicto originali concordare inueni, in testimonium præmissorum me subscripsi, signumque meum hic & in fine cuiuslibet folii præsentium constitutionum vsque ad medieta-tem apposui consuetum. Et in vberiore certitudinem præmissorum, dictus dominus legatus duxit sigillum suum præsentibus foliis in filo colligatis appendi.

Et ego Bertrandus Vanchi Dechanensis Castro, clericus Treuirensis diocesis, publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, prædictas constitutiones, prout in ipsarum originali correcto vidi & legi de mandato, auctoritate, &c.

ANNO
CHRISTI
1324.

CONCILIVM TOLETANVM
AVCTORITATE IOANNIS ARCHIEPISCOPI
& primatis Toletani celebratum anno Domini
MCCCXXIV. tempore Ioannis papæ XX.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

ISTÆ SVNT CONSTITVTIONES PER reuerendum patrem & dominum, dominum Ioannem miseratione diuina Toletanum archiepiscopum, primatem Hispaniarum ac regni Castellæ cancellarium, factæ ac editæ in Concilio per eum apud Toletum celebrato anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto, vigesimo primo die mensis Nouembris, qua die dictum Concilium extitit terminatum.

TITVLI CAPITVLORVM.

- I. *Vt episcopi vocati ad Concilium veniant.*
- II. *De vestibus clericorum.*
- III. *Vt clerici fructibus capell-*
- IV. *Vt nullus curatum beneficium administret, nisi ante legitime per episcopum diocesenum in-*

structus fuerit.
V. *Vt clerici bona ecclesie filiis suis
non conferant.*
VI. *Vt presbyteri pro Missis cele-
brandis pecuniam non exigant.*

VII. *Vt presbyteri non nisi unam
Missam in die celebrare præ-
sumant.*

VIII. *Illos qui Sarracenis subsidia
impendant, excommunicatos esse.*

ANNO
CHRISTI
1324.

P R Æ F A T I O.

Ad fructus vberes, quos in Dei ecclesia episcoporum Concilia hactenus produxerunt, conditores Canonum considerationis aciem * intendentes, prouide constituerunt eadem Concilia pro puniendis excessibus, & reformandis moribus, per metropolitanum cum suis suffraganeis annis singulis celebranda. Quod & reuerendus pater dominus frater Guillelmus Sabinensis episcopus, in his partibus apostolicæ sedis legatus, quolibet anno, vel ad minus biennio, sub certa forma fieri præcepit, vt quos ad declinandum a malo, & faciendum bonum virtutum præmia non inducunt, quadam ad hæc facienda necessitate per episcoporum diligentem sollicitudinem & suppositam vigilantiam compellantur. Nos igitur, qui desideranter in vos gerimus ipsos Canones & præceptum eiusdem domini legati pro viribus obseruare, conuocauimus prouinciale Concilium in nostra ecclesia Toletana: & intendentes potius ad obseruationem constitutionum, quam ad multiplicationem earum, sacro approbante Concilio præcipimus, constitutiones per dictum dominum legatum editas in Concilio per eum apud Vallemoleti celebrato, cum infrascriptis per nos in præfenti Concilio edictis, obseruari.

C A P I T V L A.

I.

Episcoporum negligentia, qui vocati ad Concilium venire negligunt, ex quo ecclesiastica contemnitur auctoritas, excessus remanent impuniti, & correctio morum cessat, ipsas impunitates auferre volentes, cum nos simus sub certa pœna ad celebrandum Concilium obligati, quod celebrare non possumus decenter vel vtiliter sine ipsis, præsen-

ti